

Et id ex serie, quam discipuli mei per aliquot annos observaverunt, cuius rei ratio Vobis ex Progr. CLXXIV. præsertim CXC. CCXII. & CCXXVII. apertè & sufficienter constabit. Dogmata nempe artis Rhetoricæ plurimi declamationum scholasticarum incudi subjecerunt, juxta illud, quod omnes noveritis, Horatianum ( $\gamma$ ) *Sumite materiam* e. q. s. Ego semper ita putavi, rectiùs facere, quicumq; aut scribere aliquid aut dicere voluerit, de illo si scribat & dicat, quod sub sphaeram sui intellectûs ( $\delta$ ) cadat, ut & commodè elaboret, & faciliùs exasciet, & dignè proferat atq; pronunciet. Sua cuiq; ætati conveniunt, sua profectui, sua intellectui, sua judicio. *Nec sutor ultra crepidam, nec gladiator extra arenam, nec pictor ultra poësin, nec messor extra segetes, nec homo supra Deum.*

Dicent itaq; (2) PETRUS Gude Lœbavienſis de *Confutatione*, quatenus est pars orationis Rhetoricæ, (3) WOLFF-HENRICH Schröder Budiffinensis de *Peroratione* seu *Conclusionē*: (1) JOH. CHRISTOPH Dimler/Bischofvverdá Misnicus *Psalmum LXX. metro Elegiaco* & (4) CASPAR DANIEL Bierling Budiffinus *Psalm. seq. Hexametro* à se redditos recitabunt. Datâ operâ *bos quatuor* conjunxi, quia simul fruuntur hodie mensæ Mättigianæ beneficio, ut Ampliffimus Senatus noster perspiciat & judicet, an *comedant panem*  $\pi\alpha\lambda\lambda\alpha\iota$  *sive asellorum* (*Proverb. xxxi, 27.*) secus enim ferientur anathematis istius Paullini (2 *Thess. III, 10.*) fulmine,  $\epsilon\iota\ \pi\iota\varsigma\ \&\ \theta\epsilon\lambda\epsilon\iota\ \epsilon\rho\gamma\acute{\alpha}\zeta\epsilon\alpha\varsigma\ ,\ \mu\eta\ \epsilon\omicron\delta\iota\acute{\epsilon}\tau\omega$ , *So iemand nicht wil arbeiten / der sol auch nicht essen / & anima remissa seu ignava fameſcet*, (*Proverb. XIX, 15.*)

Absit à nobis piger & remissus,  
Gnavus in navi celeri scholarum,  
remiget noctis simul ac dierum,  
omnibus horis.

( $\gamma$ ) in *de Arte* v. 38 - 45. Confer lib. II. *epist. I, v. 257 - 259.* ( $\delta$ ) Confer cap. 16. in *eleganti illo Melchioris Junij libello, quem inscripsit Methodum eloquentiæ.*